DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE FEBRE MARAS-MODE *vulgò* LENTA,

Quam

SUB PRÆSIDIO NUMINIS SUPREMI

DECRETO & JUSSU.

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

In

Illustri & Antiqua Rauracorum Academia,

Pro summis

In Arte Medica Honoribus ac Privilegiis Doctoralibus legitimè impetrandis

Publico Eruditorum Examini submittit

SAMUEL SCHAFFNER,

Aroënsis.

Ad diem 15. Februarii. Anni M. DCC. VII.



BASILEÆ,

Typis JOH. JACOBI GENATHII.



VIRIS REVERENDIS, NOBILISSIMIS EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMIS.

DN. SIMEONI NöTTINGERO, Ecclesiæ Bernensis Pastori Vigilantissimo, Avunculo suo omni honoris & venerationis cultu prosequendo.

DN. JOH. JACOBO MEYERO, Ecclesiæ quæ Christo in Schintznach colligitur Pastori fidelissimo, Præceptori olim suo, Fautori atque Patrono perpetim colendo, amando.

DN. SAMUELI SCHAFFNERO, Medicinæ Doctori Celeberrimo, Practico Felicissimo, Parenti suo omni Filialis obsequii & debitæ observantiæ honore prosequendo, suspiciundo.

Hanc dissertationem inauguralem in devoti gratique animi & obedientiæ signum dicat & consecrat

AUTHOR.

cribus plus minus inviſcatis inquinatam eſſe, ita quidem ut ab his primùm nulla pars corporis notabiliter affligatur, tractu tamen temporis particulis hiſce cumulatis & radicatis, imò majorem acrimoniam acquirentibus, viſcera quoque infarciri, obſtrui pertinaciter, imò etiam exulcerari poſſint: è contrà in febri hectica non tantùm maſſam ſanguineam acrem admodùm & viſcidam eſſe, ſed ſimul nunc hujus, nunc illius partis ſolidæ graviorem labem vel ab initio ſubeſſe, perſuaſum habemus cum Practicis Celeberrimis, è cujus ſinu ſive ulceroſo aut ſcirrhoſo particulæ ſalinæ, acres, & non rarò corroſivæ in ſanguinis Oceanum, quâ datâ viâ afferuntur, aptæ corrumpendo ſucco nutritio, aut ſufflaminato ſanguinis legitimo motu, ac neceſſariâ particularum variarum in variis partibus ſecretione, particulæ heterogeneæ cumulentur, acrimoniam nocivam mox accepturæ, vel ſui ſtagnatione & mole ſanguinis craſin turbaturæ & valdè dejecturæ, ſicque ad febrim auctiorem, quam hecticam appellamus, viam ſtraturæ.

Theſis X.

Explicato hôc modô affectu & parte affectâ ad cauſas, quarum doctrina Medico rationali, utpote qui per hanc ab empyrico diſtinguitur, curæ eſſe debet quàm maximè, cauſas enim morborum noſſe, ut dicunt, ex Arte curare eſt; harum vulgò tres ſiſtunt, quas & nos ordine exhibebimus, initium facturi à proximâ & immediatâ, indeque progrediendo ad mediatas propiores & remotiores, internas & externas; quod jam attinet cauſam proximam febris Lentæ ſeu μαραςμώδης, conſtituunt illam particulæ heterogeneæ variæ, acidæ, ſalſæ, acres, viſcidæ, crudæ, ſanguinem non modo onerantes & à ſua ἐυκρασία dejicientes, ſed ſimul ob irregularem ſuam texturam in ſuo motu & unione continuò, minori tamen atrociâ quàm in hecticâ turbantes, ita quidem, ut non

ſaltem

ſaltem motus inteſtinus ejus lædatur, cum aliqua difficultate per tubulos unà circuletur, ſed progreſſivus quoque intendatur, ſimulque paucæ ſubminiſtrentur particulæ nutritiæ, quæ partium ſolidarum poris adaptari, inibique debito modo in earundem ſubſtantiam aſſimilari queant; heterogeneis enim cumulatis, balſamicæ deficiunt, & motu ſanguinis hunc in modum aucto, magis atteruntur, imò quod magis eſt, maſſa ſanguinea, calore ejusmodi excedente, magis magisque excutit particulas nutritias poris anteà incuneatas; neque hic ſubſiſtit malum, verùm enim verò Cerebri & nervorum incolæ à tali ſanguinis febrili diatheſi in motum vehementiorem adacti, motum viciſſim in maſſa ſanguinea & hinc calorem in toto corpore præternaturalem tantùm non adaugent, atque eundem perpetim continuando, non ſolùm ſanguinem, ſed & corporis omnes partes humido ſuo neceſſario nutriente & irrorante privant: Unde ſtamina carnoſa, fibroſaque alia à tono ſuo naturali dejecta in ſe concidunt, flacceſcunt, ſubſident, exſiccantur & exareſcunt: Abſumtô ſic nutrimentô de die in diem non poteſt fieri aliter, quin Caro muſculorum temporum, faciei, circà genas, pollicem, ſuras, lumbos, abdomen, cum pinguedine dictarum partium manifeſtè & ad ſenſum conſumatur, ita ut facies illa Hippocratica emergat, quam videſis penes Hippocr. lib. 1. præſag. 9. 10 & 13. §. Oſſeæ tandem partes, item cartilaginoſæ cum membranoſo-tendinoſis, licet propter ſolidiorem quam adeptæ ſunt ſubſtantiam, & hinc reſiſtentiam majorem, quemadmodum aliæ partes haud abſumtæ appareant, paulatim tamen magis exſiccari & areſcere videamus: quò pertinet illud Virgilii:

Oſſa tegit Macies; Nec juvat ora Cibus:

Theſis XI.

'A causâ proximâ internâ ad antecedentem digredimur

Thesis I.



Um propositum nobis sit bono cum Deo de marasmo febrili, vel potiùs de febri μαρασμώδη tabidâ illâ mortalium pernicie disserere, operæ pretium erit, in ipso limine dissertationis nostræ ὀνοματολογίαν tria in se continentem, Etymologiam, Homonymiam, & Synonymiam, brevibus examinare.

Thesis II.

Et Vocem μαρασμός quidem quod concernit, unde febris μαρασμώδης nuncupatur, derivatur illa à verbo μαραίνω, quod Latinè significat, marcescere facio, flaccidum seu marcidum reddo, paulatim exedo; cùm igitur jam in febris quadam specie partes corporis omnes depascantur, ipsarum succus nutritius absumatur, viresque labefactentur, patet vocem μαρασμοῦ febris lentæ naturam satis exactè, primò statim intuitu exhibere: Quantum autem spectat febris Etymologiam, cùm hæc ad nauseam usque jam ab aliis data sit, libenter præterimus: Homonymiam quod attinet, sumitur vox μαρασμοῦ tripliciter, vel *Latè*, pro omni corporis absumtione & extenuatione: vel *strictè*, pro ea, quæ febrim lentam conjunctam habet, oriundam propter partis cujusdam internæ, ac sæpissimè principis Læsionem: vel *strictissimè*, pro ea corporis consumtione, quæ febrim lentam ut umbra corpus concomitatur, sine ullâ manifestâ cujusdam visceris interni morbosâ

bosâ diathesi graviori, & quidem de hac μαρασμώδη febre inpræsentiarum acturi sumus.

Thesis III.

Vocabula eandem cum Marasmo significationem habentia, sunt partim Latina v. g. tabes, contabescentia, macies, aridura, marcor, emaciatio &c. partim Græca, ἀτροφία, φθίσις: febris tandem μαρασμώδης pro synonimo agnoscit Febrim Lentam, quam Germ. per ein heimlich außzehrend/ oder schwindsüchtiges Fieber/ langsame Außdorrung/ oder Leibs-Außzehrung/ Schleich-Fieber/ dixeris: Non nulli febrim hecticam idem significare volunt, in quo tamen ab illâ differat, attigimus.

Thesis IV.

Sed satis jam circà nomen hactenùs occupati, nunc quoque ad rem ipsam devenimus, quam sequens descriptio satis explanabit; Μαρασμός est lenta totius corporis emaciatio, oriunda à febri continua benigna succum partium corporis nutritium, cum spiritibus paulatim consumente, conjuncta cum pulsu celeri, parvo, siti, quandoque sudoribus nocturnis, urinis nunc crassis turbidis, nunc naturalibus similibus, sæpiùs citra sedimentum: Aut si mavis febris μαρασμώδης aut Lenta, est febris continua benigna corpus nostrum paulatim emacians, oriunda à particulis peregrinis crassis acribus &c. sanguinem in suâ mixtione & motu turbantibus iisdemque symptomatibus modò allegatis stipata. Dico febrim lentam esse totius corporis emaciationem seu contabescentiam, quoniam nutritionis omnimodus defectus non statim sed paulatim & successu demum temporis in corpore toto persentitur; Et hâc ratione aliqui fortè inter symptomata actionis imminutæ vel abolitæ affectum hunc referrent, prout malum nunc recens, nunc confirmatum fuerit.

Thesis V.

At verò cum emaciatio febrim hanc necessariò concomi-

comitetur, febris autem omnis inter morbos intemperiei, & quidem, qui mixti turbatam unionem nunc graviorem, nunc mitiorem, nunc magis, nunc minus agnoſcant, recenſenda ſit, etiam hîc febrim, de quâ agimus, continuam, benignam, & lentè totum corpus depaſcentem ad ejusdem ſpeciei morbum referemus: hanc autem febrim lentam accuratè diſtingui volumus ab illâ ſymptomaticâ, quæ pro matre agnoſcit morbum aliquem partem quandam corporis internam & ut ſuprà diximus præcipuè principem obſidentem: v. g. Ulcus pulmonis quam phtiſim; obſtructionem graviorem Hepatis, Lienis, vel glandularum meſaraicarum, quam in adultis ἀτροφίαν, in infantibus παιδατροφίαν nuncupant: quibus ſi lymphæ in thoracis vel abdominis cavitatem exundatio accedat, hydrops nunc pectoris, nunc abdominis ſeu Aſcites vocari ſolet: quæ verò macies à ſeminis perpetuo fluxu ortum trahit, Tabes dorſalis; quæ ab ulcere alius viſceris, aut fiſtulâ, Hectica fiſtuloſa, vel ſimpliciter talis; quæ à vermibus dorſalibus Comedones: quæ denique ab aliis vermibus producitur, Tabes vel hectica verminoſa appellari conſuevit.

Theſis VI.

Ex dictis videre eſt, hecticam quidem omnem ſimul Lentam includere febrim, hanc tamen etiam ſine illâ ſubſiſtere poſſe: febrim verò in iſta corporis contabeſcentia demonſtrant calor præternaturalis, cum frigoris nonnunquam viciſſitudine, pulſus celer, frequens, & debilis cum virium proſtratione, item Urinæ nunc craſſæ nunc turbidæ aliaque in febribus obſervabilia, de quibus infrà fuſiùs: Benignam hanc febrim dicimus, quod nec frigore acri, nec calore urente impetuosè adoriatur ægros, pro aliarum nonnullarum febrium more, ſed remiſſiùs & clanculùm ex parte divexet, & inde etiam dicimus eſſe lentam & continuam, eò quòd lento ſolùm pede, perennante

nante tamen greſſu progrediatur, ita quidem ut infirmi indè quaſi conſuetudinem contrahentes, vix ſe febricitare ſentiant aut credant, & hinc Medici auxilium vix unquam expetant: Et quamvis unâ vel alterâ horâ poſt paſtum calor paulisper exacerbetur, nunquam tamen ad acutarum febrium magnitudinem accedit; ſed paulò pòſt ad priſtinam ſuam æqualitatem redire ſolet; Vires interim ægrorum ſenſim conſumuntur, ſuccus nutritius abſumitur, donec tandem præter opinionem ad extremum re deductâ febris hæc μαρασμώδης vitæ filum abrumpat.

Theſis VII.

Quandoquidem nutritionem ab hâc febri nunc imminui, nunc aboleri ſtatuerimus, explicandum foret jam ipſum nutritionis negotium, vel ideò quòd ſtatus præternaturalis meliùs non innoteſcat, quàm cognito priùs ſtatu ſecundùm naturam: Aſt nolumus actum agere ſive ut ajunt, poſt Homerum Iliada ſcribere, ne diſputatio hæc citrà neceſſitatem extendatur, quare videri poſſunt, diverſorum Virorum celeberrimorum ſcripta, qui de his prolixè ſatis ſcripsêre, nos ad ſubjectum ſive partem affectam, cui febris lenta cum maraſmo inhæret, ocyùs tranſituri.

Theſis VIII.

Quòd ſi hîc marceſcentiam corporis à febre lentâ tantisper abſtrahere liceat, ſtatuimus *illius* ſubjectum partes corporis noſtri ſolidas ſeu conſiſtentes: *hujus* verò, fluidas, hoc eſt ſpiritus cum humoribus, interque hos imprimis *Laticem ſanguineum* tanquam veram & principalem ſucci nutritii ſcaturiginem, ita tamen ut maſſam ſanguineam pro primariâ, reliquas autem partes pro ſecundariâ, utrasque tandem pro adæquatâ febris emaciantis ſede habeamus.

Theſis IX.

Exiſtimamus nimirum, in febri lenta maſſam humoralem lentore quodam & particulis heterogeneis variis, acribus,

dimur, quæ nimirum maſſam humoralem in perpetuâ intemperiei lentore & acrimoniâ conſervat, hujus loco ſiſtimus primarum viarum Cruditates diverſi generis, ſive mavis Chylum depravatum, & loco particularum balſamicarum & nutritiarum, particulis ſalinò-acidis, acribus, viſcidis, craſſis, præcipuè onuſtum; Cujusmodi perverſæ chyli generationi, tàm in Ventriculo, quàm inteſtinis, præter errores diætæ anſam præbere ſolent, vitia diverſi generis ſucci pancreatici, bilis, Lymphæ inteſtinalis, ſalivæ & Liquoris Gaſtrici: qui humores vel munere ſuo lentius funguntur, vel aliter Caracterem ſuum peregrinum Chylo communicant: paucis quemadmodum morbi imprimis Chronici, communiſſimè coctionis primæ & ſecundæ vitiis ſuam debere originem dicuntur, undè Chyli ſanguinisque laudabilis generatio præpeditur, ita etiam febris lenta, ortum & ſcaturiginem ſuam ab iisdem, nunc proximiùs, nunc remotiùs utplurimùm trahit.

Theſis XII.

Antecedentium porrò cauſarum, ſed Remotiorum nomine nobis veniunt res naturales dictæ, & quidem Primò Temperamentum; nullum horum febri Μαρασμώδη ſeu Lentæ producendæ magis aptum videtur, quàm Cholericum ſeu bilioſum & Phlegmaticum, *illud* ob particulas maſſæ ſanguineæ copioſè intertextas bilioſas, acres, fervidas atque Lymphæ ſimul defectum; *hoc* propter ſeri excrementitii & pituitæ ſals-acido-viſcidæ frequentem exceſſum; Temperamentum verò Sanguineum ceu obeſitatis genuinam matrem excludimus, eò quod ſanguis copioſioribus particulis balſamicis, gelatinoſis, dulcibus & hinc nutritioni aptiſſimis turgidus, raro admodùm morbo ex gravi ſanguinis vel acredine, vel majori lentore & viſciditate prodeunti portam aperiat: Secundò Ætas, cujus nullam ſpeciem hinc licet excludimus, nihilominus juvenilis & virilis ad hunc morbum inclinat, calor enim creſcen-

ſcentibus annis, etiam ipſe increſcens, Lympham roſcidam ſeu ſerum nutritium magis abſumit & diſſipat, unde ſanguis fit viſcidior, acrior, ejusque motus rapidior teſte Hippocr: Aphor. ſect. 5. aph. 9. *Φθίσις γίνεται μάλιστα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτω καὶ- δεκα ἐτέων μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα:* Senes tamen etiam morbo iſto nonnunquam corripi videntur, quoniam in his ſucci nutritii fontes maximâ ex parte ſunt exhauſti, Calidum innatum ſecundum Veteres ferè extinctum, hinc ſanguis quaſi vappeſcens ad Lenteſcentiam cum febriculâ contrahendam ſatis pronus: Videnturque Practici hunc affectum maraſmi ſenilis nomine peculiariter inſignivisse; infantes autem febri hecticæ ab obſtructione glandularum meſenterii oriundæ, multùm eſſe obnoxios, in vulgus notum eſt: Tertiò huc ſpectat Diſpoſitio hæreditaria; enimverò Experientia docet, in quibusdam familiis eâdem phtiſeos conditione, imò nonnullos eâdem ætate hôc malô ſucceſſivè fuiſſe mortuos: Quartò quoad Sexum febris Lenta utrique ſexui morbus eſt familiaris, Feminis tamen magis quam Viris inſidiatur; Cùm illæ ob affectus Uteri varios ſanguinem minùs laudabilem facilè acquirant; imprimis menſium defectu laborantes, frequentius Chloroſim cum febri Lentâ incurrunt, quòd ſanguis ob ſtagnationem & lentiorem curſum acidior & viſcidior reddatur, totamque ſic maſſam humoralem pededentim inquinet, quò forte aliquid conferre poteſt in Virgunculis Thoracis & Lumborum conſtrictio, ut junceæ ſpectentur.

Theſis XIII.

Res non naturales, ſive cauſas externas & procatarcticas, quarum legitimo uſu corpus noſtrum in ſanitatis integritate conſervatur & illegitimo pluribus morbis viciſſim exponitur, quod concernit; ſunt illæ primò Aër, qui quantitate, qualitate, & motu peccando quosdam ad febrim lentam diſponere, alios autem ad hanc propenſos aut

ſos aut eâdem jam affectos variè lædere ſolet; Eſt enim aër, crebris ſuis mutationibus, quas ratione temporum anni, tùm Ventorum vaporumque putridorum admiſtorum inire ſolet, in alterandâ maſsâ humorali & ſpiritibus maximarum virium, quas quidem exerit vel *inſpiratione* ſui, vel circumambiendo corpus, ejusque poros, quos nunc nimis aperit, nunc conſtringit, ſicque ſanguini diverſimodè labem affricat, ſic aër Calidus nimis, multùm ad febrim lentam producendam contribuit, quatenus Elaſticis ſuis particulis, ſanguinem cum ſucco nutritio nimis attenuat, rarefacit, & transpirare facit, ſicque intendendo particularum motum, easdem exaſperat, acriores reddit, bilem adauget; è contrà Frigidus, nimis humidus, vel denſus, nebuloſus &c. impediendo neceſſariam ſeroſorum effluviorum transpirationem, excrementa in corpore cumulat; ſpiritus & humores in motu ſuo languidos, in conſiſtentia verò ſpiſſos reddit: Effluvia tandem metallica, ſulphurea, aliaque quandoque ex Ore & corpore hecticorum & phtiſicorum hauriri ſolita, multos hecticos & tabidos reddiderunt.

Theſis XIV.

Secundò Alimenta tam ſolida quàm fluida cùm vel quantitatis, vel qualitatis, modi & temporis aſſumendi ratione, error aliquis gravis & continuus in iis committitur, ad febrim lentam maximè diſponunt; Enimverò Cibi cujuscunque generis ſi quantitate nimia ingerantur, Ventriculum onerant, ejusque actionem haud parûm impediunt, dum enim liquor gaſtricus tantæ moli diſſolvendæ inſufficiens eſt, non modò cruditates in illo accumulari, ſed & Chylum minùs laudabilem per vaſa Lactea maſſæ ſanguineæ affundi neceſſe eſt, qui dehinc eandem magismagisque turbat; pariter Eſculenta craſſa, nimis viſcida, multùm ſalita, fumo indurata, verbo dyſpepta, item acida, mellita, Saccharata, facilè corruptibilia, uti ſunt

Carnes animalium vetuſtorum, olera, legumina, acetaria, Lacticinia, caſeoſa, fructus horæi &c. Chylum indolis ejusdem nunc craſſum, viſcidum, nunc particulis acribus, vel admodum fermentescibilibus inquinatum producunt: Quod ultimum Cibi nimis aromatiſati, calidi & acres inprimis præſtant, humores & ſpiritus animales præternaturaliter exagitando, ſanguinemque particulis admodum Volatilibus efferis imbuendo, eumque ſeroſo-aqueis eò magis privando, quò in majori copiâ ingeſti fuerint; tandem ex ipſo Defectu alimentorum lentam oriri febrim, nemini mirum videri poteſt: Cùm deficiente hoc modô nutrimenti neceſſarii affluxu ſanguis in ſe ipſum jugiter agere, particulasque balſamicas & dulces abſumere & depaſcere cogatur, quibus abſumptis, cæteræ magis ferociunt, motumque in totâ maſſa humorali præternaturaliter intendi faciunt: Quoad Potulenta vina, aliique potus generoſi quô cibis ſunt Volatiliores & ſubtiliores, eò etiam faciliùs omnes corporis noſtri partes pervadunt, & particulis ſuis activis fervidis & acribus ſanguinem & ſpiritus in motum ferocem adigere poſſunt; hinc frequentiùs febrim Lentam Vini generoſi, ſpiritus vini, Ceraſorum nigrorum, aquæ vitæ, & ſimilium igneo-ſulphureorum ſpirituum Potatoribus infenſam eſſe notamus, effectum contrarium producentibus vinis craſſis, tartareis, aut etiam Cereviſiæ minùs defæcatæ, aquæ imprimis frigidæ & paludoſæ frequenti ingurgitatione.

Theſis XV.

Motus & quies, ſomnus & Vigiliæ, uti admodùm affines exiſtunt, ita ſin exceſſerint modum, pariles producunt effectus: Quemadmodum enim motu corporis nimio, laboribus, aut aliis exercitiis vehementioribus, ſtudio pariter nimio, meditationibus frequentioribus, lucubrationibus nocturnis &c. Calorem univerſim intendi, indeque ſpiritus animales cum ſero ſanguinis balſamico immi-

imminui & diſperdi videmus, relictis in eodem particulis viſcidis & acrioribus, ita Lentam ab his febrim ſæpiùs pullulare conſtat; è contrà quies & ſomnus nimius fluidum animale pariter ac vitale torpidius reddentes, chylificationi multùm officiunt, ſecretiones & excretiones humorum variorum ſufflaminant & impediunt,unde cruditates in toto cumulari neceſſe eſt.

Theſis XVI.

Ab animi Pathematibus gravioribus & diuturnis febrim μαρασμώδην progigni, multis exemplis probare poſſemus, niſi multiplici experientiâ hæc ſatis perſpicua eſſe putaremus; ſic in irâ ſpiritus quaſi accendi, particulas ſanguinis valdè exagitari, acres reddi, imò in ſuâ miſcelâ turbari poſſe, neminem latet; quid mœror, timor ac triſtitia in ſpirituum & ſanguinis motu deprimendo & figendo quaſi, inde Lentorem & viſciditatem maſſæ humorali inducendo poſſint? omnibus conſtare arbitramur.

Theſis XVII.

Non parùm tandem huc ſubminiſtrare poſſunt Excreta & Retenta, enimverò ſi excernenda retineantur, maſſam ſanguineam gravant, inquè ſuo motu & craſi turbant, imò noxias quandoque qualitates illi inducunt; &, ſi quæ eſſent retinenda, copiosè excernuntur, ſpirituum animalium non minùs, ac particularum balſamicarum aliarumque volatilium jactura in corpore præſtò eſt non ſine inſigni detrimento: huc faciunt Hæmorrhagiæ nimiæ, ſudores nimii, Venus nimia, ſalivæ, ſeminis & Urinæ profluvia nimia: prout ex adverſo inter excernenda retenta. v. g. Menſes & Hæmorrhoides in aſſuetis cum lochiorum ſuppreſſione & tranſpiratione quovis modo impeditâ, aliiſque hujus generis referimus: neque hic reticendus Nicotianæ fumus, qui in ſiccioris præprimis temperaturæ hominibus ſerum alibile inſenſibiliter exhaurit: huc referimus maciem illam febris Lentæ æmulam, quâ

 ob for-

ob fortiorem & continuam infantis ſuctionem & hinc nutrimenti ſubtractionem lactantes ad tempus non rarò moleſtantur.

Theſis XVIII.

Recenſitis hactenus cauſis addimus res diverſas præter naturam, aut morbos diverſæ ſpeciei præcedaneos, in quibus ſpiritus animales fuerunt vel exhauſti, aut etiam maſſa ſanguinea ſuis particulis balſamicis, nutritiis & activis defraudata; uti ſunt febres acutæ, dyſenteria, fluxus cœliacus, Hæmorrhagia uterina, Lues Venerea, Variolæ & morbilli, ſcabies intempeſtivè retropulſa &c. quæ omnia cauſis antecedentibus Aliqui non malè annumerabunt: huc pertinent Secundò auxilia tam Chirurgica v. g. Venæ ſectio, Cucurbitulæ cum ſacrificatione, fonticuli, ſetacea, balnea &c. ſiniſtrè uſurpata: tum etiam Pharmaceutica v. g. Vomitoria, purgantia, diaphoretica, diuretica, diverſique generis alterantia, contrà artis præſcriptum in uſum vocata; trahimus huc etiam venena & quæ his ſunt affinia.

Theſis XIX.

Abſolutô hunc in modum cauſarum Examine, ad Differentias hujus affectûs pergamus, & quidem Primo ratione ſpeciei, Lenta febris alia eſt Primaria, quæ per ſe incipit, & plerumque ex rerum ſex non naturalium abuſu procedit; alia Secundaria, quæ internarum partium morbis ut cauſis ſuccedit; cujus utriusque indolem nî fallimur ſatis diſtinctè hactenùs docuimus. Secundò ratione Originis, alia eſt Hæreditaria, alia Acquiſita: Tertio ratione Graduum, quos alii Species, Saniores autem Tempora vocant, alia Incipiens eſt aut in fieri, in quâ adhuc imperceptibilis eſt corporis conſumtio; alia Recens, cum magis evidens eſt corporis extenuatio; alia denique Confirmata aut inveterata dicitur, quando corpus ita exareſcit ut facies accedat Hippocratica, & Oſſa undique

pelle

pelle tantùm circumcincta deprehendantur; qui ultimus gradus consummata tabes plerumque audit, & raro admodùm curabilis existit.

Thesis XX.

Quibus ita perlustratis rectà properamus ad Signa tàm Diagnostica, quæ statum morbi præsentem patefaciunt; quàm Prognostica: Illa Pathognomonica dicuntur, si infallibiliter morbum signent, & ab eodem sunt inseparabilia: Cùm autem ex uno solo signo febrim Lentam dijudicare nequeamus, eorum plura colligimus, quæ conjunctim Pathognomonica erunt, horumque sequentia sistimus. Primò μαρασμὸν sive maciem paulatim universum corpus prehendentem: Secundò Calorem præternaturalem totius Lenem & quasi occultum; post pastum tamen sæpissimè (unâ sc. aut duabus horis pòst quando Chylificatio & distributio Chyli contingere solent) intendi & acriorem reddi solitum, qui deinceps Concoctione absolutâ ferè remittere & ad pristinum gradum redire consuevit: Studiosè tamen notandum, eundem calorem & eodem gradu penes plerosque in volis manuum & pedum, imò & facie sese manifestare: Tertiò pulsum non solùm celeriorem & frequentiorem, sed & minorem, debiliorem, & nonnihil inæqualem; præter hæc jam de signis febris Lentæ Pathognomonicis sequuntur nunc Signa eidem affectui cum aliis morbis communia, quæ mixtim cum propriis secundum morbi tempora etiamnum explicanda veniunt.

Thesis XXI.

Circà hæc sciendum est, in Principio (quod alii primum gradum vocant) hecticam hanc primariam seu febrim Lentam difficulter satis cognosci posse, cum juxta Thesin 19. vix ac ne vix quidem sensibilis sit externa corporis emaciatio, juxtà tamen non prorsùs non pereunte partium roscidâ & nutritiâ substantiâ; Urinæ etiam tùm sanorum

norum ſimillimæ apparent, cœteris utcunque itidem bene ſe habentibus; Verùm in ſecundo illius gradu ſeu Augmento jam evidentior eſt corporis univerſi etiam ſecundum partes carnoſas (vide Theſin modò cit:) emaciatio; cui appetitûs imminutio, ſitis plus minus intenſa, linguæ ariditas, & ſalivæ glutinoſitas, hujusque ingratus ſæpè ſapor junguntur: accedit virium languor, & inſignis membrorum laſſitudo: reſpiratio quoque læditur faciliùs, cùm corpus juſtò vehementiùs exercent, aut ſcalas aut montes aſcendunt: quibus meritò accenſentur frigus quod nunc in extremitatibus, nunc etiam toto corpore incurrunt; horripilationes, & phlogoſes frequentes, pallidus faciei color, cum moleſtâ quandoque cordis palpitatione, viſibili arteriarum in collo & fronte pulſu, dolor item capitis plus minus exquiſitus, ſomnus ob inſomnia turbulentus, &c. Urina excernitur jam magis tincta etiam lixivioſa, jam craſſa, ſæpè pinguis & oleaginoſa propter pinguedinem colliquatam, quæ inſtar telæ aranearum ipſi ſupernatat; alvi excrementa ſæpius ſunt dura, febri autem confirmatâ ac radicatâ copioſiora & liquidiora evadunt: ſudor etiam noctu imprimis moleſtiſſimus eſt, in colliquativum magis, magisque deſinens ac vires ſummopere proſternens, quem citô pede ſequitur totius corporis contabeſcentia maxima, & facies cadaveroſa, Hippocratica, de quâ ſuprà, quâ ægri vivum ſceleton repræſentant, cujusmodi paucis antè diebus cum Aliis hîc in Noſodochio vidimus; quod ſi tandem diarrhæa & capillorum defluvium acceſſerint, ultimum & deſperatum morbi hujus gradum imò mortem præ foribus adeſſe indicant teſte Hippocr. aph. ſect. v. §. 12. ὁκόσοισιν ἂν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσιν, οὗτοι, διαῤῥοίης ἐπιγινομένης, ἀποθνήσκουσιν & ſimiliter in §. 14. ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγινομένη θανατῶδες. Imminentem verò hunc affectum præſagire poſſunt res ſuprà nominatæ naturales, non naturales, & præter-

præternaturales ; quas iterum recenſere foret ſuperfluum.

Theſis XXII.

Signa Differentiarum quibus hectica primaria à ſecundaria accuratè dignoſci poſſit, nobis haud adeò difficile eſt dare; nim. febrim hanc Symptomaticam produnt pulſus frequens & parvus, appetitus magis quàm in Lenta imminutus, ſitis intenſior, dolor capitis ſubinde pulſans, tenſivus & gravativus cum totius laſſitudine, porrò ægri nunc horrore levi corripiuntur, nunc magis calent, non tamen acriter niſi ſub veſperam, ubi calor ſæpè mordax fit & ultrà mediam noctem non citrà vehementiam perennat: Lancinationes quoque artuum per intervalla infeſtant, Urina mingitur craſſa, intenſiùs tincta, cum ſedimento craſſo, & facilè turbatur: Sæpè etiam hujusmodi Lenta ſecundaria ad acutæ naturam accedit: Et ſi ſit productum abceſsûs cujusdam interni, communiter adeſſe conſuevit reſpiratio difficilis, tuſſis, partis affectæ dolor, plùs minùs ardens, verbô, ſignum ferè Pathognomonicum ſunt appetitus proſtratus & exacerbatio veſpertino tempore uſque recurrens, unà cum partium affectarum functione diverſimodè læsâ, v. g. pulmonum, hepatis, aliarumque partium glanduloſarum, de quibus videantur Practicorum libri.

Theſis XXIII.

Quibus omnibus hunc in modum præmiſſis Ætiologia Symptomatum potiorum haud erit redditu difficilis, quandoquidem tantùm nòn omnia maſſæ humoralis nunc viſciditati & lentori, nunc etiam acrimoniæ ſalsacidæ, & plus minus muriaticæ, vitiis inſuper ſucci nutritii, Spirituum motui irregulari eorumdemque defectui aut depreſſioni ortum ſuum debent, v. g. Pulſus frequens & debilis, pariter ac calor ab initio lenis notatur, quia tùm fermentatio Sanguinis mitior, nec magna Spirituum

agitatio præternaturalis adeſt: His autem incrementum ſumentibus creſcit & ille, Spiritibus juxtà non parùm in auras abeuntibus. Maraſmus totius corporis fit ex continuatâ nutritionis imminutione, diximus enim ſuprà, Sanguinem in tali ſtatu vel ineptum eſſe ut nutriat, potiùs aſperitate ſua rorem nutritium inquinare, vel hunc lento ſubacri tamen calore ſucceſſivè colliquare, & ſic partes corporis ſolidas neceſſariò decreſcere. Sudores nocturni moleſti ſunt vel quod ab accedente aliquâ Chyli illaudabilis portione in maſſa humorali ob particularum incongruitatem motui indecenti ſive Fermentationi vitioſæ anſa datur, vel quòd particulæ heterogeneæ exundantes motum ſimilem ex ſe excitant, quarum per poros cutis expulſionem copioſam natura dein molitur. Alvi fluxus oritur, vel quando humores liquefiunt vel quando alimentorum in ventriculo & inteſtinis ſolutio & in Chylum converſio variè læditur, de quibus omnibus ut & aliis in antecedentibus actum fuit.

Theſis XXIV.

Diagnoſin ſequitur Prognoſis, quæ eventum morbi ſalutarem aut triſtem, lentum vel etiam citiorem nobis patefacit, in quâ explanandâ, ut feliciter verſemur, reſpiciendum erit ad morbi hujus tempora; ἐν ἀρχῇ ſeu *ab initio*, febris lenta facilè curari poſſet, modò patiens clanculùm irrepentis inimici ſui Stratagemata obſervare poſſet, aut nonnunquam Medico, ipſum de hoſte ſubmonenti credere vellet, & huic in tempore obviam iret; in *ſecundo gradu* pro ratione tamen ætatis, cauſarum, & Symptomatum, difficilioris eſt curationis: Sic v. g. in junioribus faciliorem, in adultis difficiliorem, in ſenibus nullam ferè amplius admittit curationem: Porrò febris hæc tantò periculoſior quantò firmiores ejus cauſæ radices egerint: Ubi *tertium* tandem *gradum* morbus hic attigit, rariſſimè aut difficillimè curatur: ratione durationis aut

nis aut

nis aut longitudinis febris hæc existit Chronica, & ad aliquot non solùm menses, sed & annos produci solet, cumprimis si ægrotus accuratam diætam indesinenter observaverit, at ubi semel malum hoc profundiores radices egerit, imprimis ubi in hecticam secundariam ob erosionem visceris alicujus vel scirrhosam partium glandulosarum obstructionem transierit, diu ampliùs affligere non solet, sed promptè ad Lethum ducit, & sicubi patiens summè emaciatus, sudoribus nocturnis juxtà diffluat, nunc capillorum defluviò & diarrheâ superveniente vide modò cit. aph. Hipp. spes omnis decollat: Circà hecticam verò hic generaliter notamus, neutiquam illam sanari posse, nisi pars affecta, eandem producens & fovens, ab omni labe fuerit restituta, curandi verò modum & rationem hic tradere non est nostri instituti.

Thesis XXV.

Præmissis ita quæ ad febris nostræ theoriam necessaria visa sunt, cum eventus ejus non usquè salutaris, illius θεραπείαν medendique methodum meritò subjungimus: ne verò quicquam ἀμεθόδως agere videamur, Curationem secundum indicationes, ut Medicum Dogmaticum decet, instituemus: horum *prima Curatoria* à morbo ipso & continente sive proximâ causâ petita vult, febris hujus ablationem, quam consequimur per sublationem causæ proximæ: turbata porrò mixti unio restauranda est eliminatione & correctione particularum heterogenearum, Sanguineam massam in motu & crasi suâ sivè temperaturâ graviter lædentium. Calor inde totius præternaturalis attemperandus, sanguis acido- salsus & acris edulcorandus, invertendus, Lentus & Viscidus incidendus, attenuandus, volatilisandus; pariter serum glutinosum aut viscidum incidendum, resolvendum, perque convenientes sudoris aut Urinæ vias pro ratione eliminandum, particulæ nutritiæ deficientes restaurandæ,

 Spiri-

Spiritus quoque animales impetuosè agitati demulcendi sunt, Verbô, omnibus viribus eò allaborandum est, ut Sanguis laudabilem suam temperiem, & balsamicam naturam recuperet, massaque humoralis Universim necessariam activitatem & volatilitatem rursùm accipiat: *Secunda Præservatoria* à causa antecedente deprompta expetit primæ concoctionis renovationem, seu potiùs restaurationem quam obtinemus, saburram vitiosorum humorum è primis viis evacuando, acrimoniam humorum acido- salinam & biliosam corrigendo, viscosos humores incidendo, resolvendo, & attenuando, simulque vias illic obstructas reserando, & sic Circulationem fluidi humoralis ubique pro Viribus restituendo ac promovendo: *Tertia Vitalis* à Viribus desumta particulas corporis nutritias γλισχρὰς seu balsamicas deficientes restituere, Spiritus universim reficere, tonumque deperditum partibus reddere viresque universim conservare jubet, quibus utique καρδιάσμῳ aliisque Symptomatibus medelam ita parabimus ut *Mitigatoriâ* indicatione opus non sit futurum: indicationibus hisce satisfiet per Remedia ex fonte Pharmaceutico & Diætetico præcipuè petita, cum Chyrurgicum nullum hic magnopere usum habere posse nobis persuasum sit.

Thesis XXVI.

Fons Pharmaceuticus quamplurima nobis suppeditat Remedia, tàm evacuantia, quàm alterantia & præparantia & si velis corroborantia: ex illis commendamus Primo purgantia mitiora, quæ humores crudos, pituitosos, acres &c. in Ventriculo & intestinis inprimis latentes, leniter ac sine omni Virium jacturâ educunt, viasque obstructas aperiunt & abstergunt: proderunt autem magis in liquidâ quàm solidâ formâ; Undè decocta, potiones, infusa, & electuaria, pilulis cumprimis aloëticis præferuntur, quas tamen neutiquam planè rejectas volumus, quæque ubi prudens Medicus è re esse judicaverit, parari

pos-

possunt ex massa Pilul. Tart. Extracto Panchymagogo, ex fol. Sennæ. Rhabarb. Agar. Diagr. Merc. Dulc. cum Sale aliquo fixo, Absynth. cent. min. pro stimulo addi possunt; ad alias formulas leniter purgantium prosunt Rhab. rad. fol. Sennæ, agaricus, manna Calabr. Syr. Ros. sol. sympl. & comp. syr. de Cichor. cum Rhab. Syr. Fl. Persic. Acac. imprimis apud puerulos &c. pulpa Prun. Tamarind. Passul. &c. quibus omnibus nonnunquam humores noxii per alvum sæpè cum euphoriâ & blandè educuntur; Purgantia verò fortiora ut noxia & quæ M. H. summoperè exagitant cum Spir. anim. sæpiusque cum serosis quas vacuant particulis, de nutritiis corpori quàm maximè necessariis, non parùm unà absumunt, meritò repudiamus: Unde hâc de re Hipp. Aph. Sect. 4. §. 16. ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει: Vomitoria quod verò concernit, blanda ab aliquibus equidem suadentur, nos verò vix ac ne vix quidem, & non nisi in primâ morbi hujus pullulatione, ubique saburram in ventriculo majorem pro causâ agnoverit, illa in usum vocari posse censemus, habitô simul respectu ad ægri constitutionem & vires constantes: Clysterum usum commodum & magis convenientem esse novimus, utpotè quibus in intestinis contenta & hærentia, eluuntur & absterguntur, alvusque si segnior fuerit stimulatur, & ad dejiciendum sollicitatur.

Thesis XXVII.

Quoniam universaliter vacuantibus, Diuretica & Diaphoretica accenseri solent post Catharctica jam de his dicendum erit; Sudorifera quòd attinet, apta videntur esse attenuandis humoribus viscido - serosis, iisdemque evacuandis, quia facilè colliquant imprudenter exhibita, & succum nutritium spiritusque & sanguinem ferocire, particulisque balsamicis depauperari faciunt, eà propter nisi parcâ dosi & simul temperata adhibere quis

 illa

noverit, exulare jubemus: temperata autem appellamus quæ humores acriores unà infringere, abſorbere, mitigare; particulasque peregrinas leniter & inſenſibiliter per poros cutis educere valent, ex horum numerô ſunt Antim. Diaph. Diaph. Jov. Bezoard. min. Mart. Pulv. Viperin, C.C. pph. ppt. Unic. foſs. & his ſimilia, omiſſis Sal. volatilib. empyreumat. pariter conducunt Aq. deſtill. Fl. Samb. Fumar. Chærefol. Cardb. Meliſs. Scabioſ. &c. de Diureticorum uſu, quorum ſeriem hic allegare ſuperſedemus, eundem in modum ſentimus, temperata illa eſſe debere, mucaginem viſcidam in partibus glanduloſis blandè reſolventia & reſerantia, ſanguinisque lentorem incidendo paulatim corrigentia.

Theſis XXVIII.

Evacuantibus hiſce meritò ſubjungimus & commendamus ea ex Alterantibus, quæ Virtute pollent modò nominatam mucaginem viſcidam in partibus attenuandi & tollendi, particulas ſalſacidas, viſcidas, heterogeneas in M. H. infringendi abſorbendi, incidendi, acriores invertendi, & ſi copiâ peccent convenienter educendi, ſicque univerſim Sanguinem volatiliſandi, edulcorandi, Spiritus inſuper reficiendi, particulas nutritias partiumque ſolidarum tonum reſtaurandi; Animus autem non eſt omnia & ſingula ad lentam febrim ab Authoribus hinc indè commendari ſolita hîc enumerare, ſed ſaltem Selectiora & quæ in Praxi noſtra qualicunque hactenùs proficua fuiſſe novimus: Primò itaque in cenſum attenuantium viasque reſerantium referimus non-nihil acria, amaricantia, & aromatica, blando ſale volatili plus minùs oleoſo turgida; cujusmodi ſunt Rad. Angelic. Imperat. Enul. Aron. Fœnic. Ononid. Vincetox. Apii. Zedoar. Chin. Sarſapar. &c. Lign. Guaiacum. Saſſaf. &c. Herb. Veron. Chamædr. Theè, Menth. Meliſſ. Marrub. Cardb. Summit Cent. min. &c. Fl. Geniſt. Hyper. Primul. Ver. &c.

Sem.

Sem. Anis. Fœnic. Apii. Nasturt. Cochl. Bacc. Junip. Cort. Citri. Aurant. Cinam. Nux. Mosch. Macis, Croc. Myrrh. Mastich. Gumm. Ammon. quibus utique accensenda veniunt varia ex his plantis in Officinis parari solita Extracta, Tinct. Syr. Aq. Destill. Elixiria quorum inter Schaffneri: Imprimis verò commendamus succos plantarum vulgò nasturcinarum v. g. Cochlear. Nast. aq. Beccab. Borrag. Fum. Plantag. Bell. min. Trifol. fibr. Raph. rust. &c. recens expressos ac filtratos ab ℥ij. ad ℥iiss. manè ac vesperi per plures hebdomadas in jusculo carnium non salito propinandos; si succi haberi nequeant aquæ destill. harum plant. ad ℥. plures ipsorum locum utcunque supplebunt; majorem utilitatem Aq. destill. afferet usus Pulv. Lumbric. Milleped. vel etiam Viperar. si haberi possit M. ac V. Secundô è Chymia peti debent resolventia cuncta, salina, urinosa sc. Alcalica & Salsa: ex his seligimus Sal. volat. Oleos. Sylv. Sal. volat. Viperar. Ammon. Sed parcâ dosi: Sal. Fix. Absynth. Cardb. Cent. min. Ononid. Stipit. Fab. &c. Tart. Vitr. Arcan. Dupl. Nitr. Ebur. Corall. Succin. Alb. ppt. Mater Perl. Conch. ppt. &c. Tinct. Antim. & Sal. Tart. quæ tamen omnia circumspectè in usum erunt vocanda: Imò neque blanda acida hinc arcemus, cum hæc etiam viscidos humores incidant v. g. Elix. Vitriol. Mynsicht. Propr. Parac. Spir. Sal. Dulcis, Crem. Tart. &c.

Thesis XXIX.

Porrò existimamus salino-acidas & acres particulas humoribus copiosiùs intertextas, edulcorari & alterari per ea quæ illorum aculeos discontinuant, prouti videmus Spir. etiam acidissimum temperari si multum Aq. ipsi affundamus, v. per pinguia, subpinguia & mucilaginosa, quæ particulas humorum acres non solùm inviscant, sed & partium solidarum superficies quas contingunt contrà illorum invasiones incrustando quasi defendunt, hujus ge-

jus generis sunt Emulsiones ex Sem. Frigid. Amygd. &c. Gelatinæ item & Mucilag. Rad. Altheæ, Gumm. Tragac. parari solitæ, Crem.Hord. quibus addimus Oleum, Butyrum, & Lac. de Cura verò Lactis inferius adhuc dicemus: Nullatenùs autem prætereunda terrea & martialia, quæ aculeos humoris cujuscunque imprimis acidi, absorbent, imbibunt, præcipitant, invertunt, ac enervant, ex quorum censu sunt tùm suprà allegata Corall. Ebur. Ocul. Canc. C. C. ustum est pph. ppt. Mater Perl, Mand. Lucii Pisc. Bolus arm. Terra sigil. decantatum præprimis specif. Antih. Poterii. Diaph. Mart. & Jov. Cinnab. nat. & Antim. Crocus Mart. Aperit. Vitr. Mart. Tinct. Mart. Ap. quæ ut alia Chalybeata liquidis & môbilibus suis particulis viscidos humores instar scoparum abstergunt, acidosque humores egregiè corrigunt; de fixis sciendum est, quod per accidens, dùm nempe acidum humoribus implicatum tollunt, attenuare & vias obstructas reserare possunt; tandem huc pertinent etiam dulcia, salsum imprimis muriaticum corrigentia: v. g. Rad. Liquir. Filic. Passul. Jujub. Ficus &c. Lubens hic omitto vulnerariorum Classem quæ particulis suis quibus gaudent terrestribus, adstringentibus ac Balsamicis multùm prodesse possunt; præter non nulla ex recensitis quæ Spiritus reficere etiam solent, sunt Ess. Ambr. Aq. Cinam. Aq. Card. Offic. Conf. Alkerm. & de Hyacinth. completa & incompl. Spir. Ceras. nigr. Aq. Matth. & similes cum grano tamen salis usurpandæ, ne evadant Aq. mortis. Opiata quoque refractissimâ dosi adhibita & non nisi in atroci Spirit. anim. agitatione insigniter demulcere & humorum acrimoniam corrigere valent; quando verò malum confirmatum est, & imprimis ubi hectica simul accesserit præter Diascord. Fracast. vix aliud suaserimus, nisi forsan necessitas id postulaverit, quo in casu Laud. Cydoniat. Tinct. Opii Langelot. &c. cum aliis in exiguâ dosi adhi-

beri

beri possunt: de Tinct. Antipht. adeò in hectica febri ab aliis commendatâ, hic notandum, quòd, licèt sudoribus colliquativis frænum injiciat, crebriùs tamen sumta ventriculo sæpiùs noceat, fortè quod saturnina ei sunt minùs grata, quare eadem ut alia omnia cum cautelâ erit usurpanda.

Thesis XXX.

Quoniam autem in §. præced. asseruimus, Lac multum in curatione febris lentæ præstare, rationem assersionis nostræ paucis annectemus, nim. Lac ob particulas suas balsamicas, dulces, optimè nutrit, ob serosas humectat, ob utrasque verò acredinem humorum diluit ac obtundit; ob eandem rationem Lac artificiale, hoc est Emulsiones, tabidorum & hecticorum analeptica præstantia esse novimus, dum serum restituunt, hujusve acrimoniam involvunt, & quia lac muliebre naturæ nostræ magis congruum est, hoc reliquis facilè palmam præripit, ad quod proximè accedit asininum, quod non facilè in ventriculo coagulari, nec inibi diu morari, sed statim ob seri Nitrosi copiam distribui solet: tertium locum damus lacti caprillo, quod vaccino magis serosum est minusque crassum: Circà hunc autem lactis usum observandum est studiosè, ut primæ viæ ab omnibus cruditatibus cumprimis acidis, priùs liberentur, ne in caseosum coagulum abeat, ad quod impediendum, usque etiam injici solet parum Sacchari albissimi, vel etiam anisati, aut Conf. Ros. Omne verò Lac assumendum est calidum, sivè dein ex mammis emulgeatur protenus, sive in vase debito post calefiat; post assumtum Lac æger nec planè quiescat, nec vehementer se commoveat, quandoque tamen post Lac epotum cum fructu somno brevi indulgeat: In ordinando Lacte Practici plerumque ab ℥iiij. incipiunt & ascendunt ad libram unam: tùm etiam conducibilius longe esset, si ægri natura id admitteret, nullô planè

 aliô,

aliô, præter lacticinia uti alimento, cum ab aliis simul assumtis, imprimis sin acidula misceantur, facile noxa suboriatur Assertum hoc confirmat Hippocr. Aphor. Sect. 5. ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα.

Thesis XXXI.

Quod verò usum aquarum mineralium imprimis acidularum quæ aliàs deobstruere & dyscrasiam Sanguinis hecticam & scorbuticam potenter emendare dicuntur, spectat, judicium nostrum tantisper suspendimus, equidem nisi tonus ventriculi in tali ægro fuerit probè constitutus, malumque recens & causa proxima minimè pertinax & radicata, minùs utiles ipsas fore arbitramur: Præmissis præmittendis aquæ minerales quæ naturâ calidæ sunt & tales hauriuntur tutiùs in primis mali hujus incunabulis usurpantur, ceu sunt Fabariens. & Plumbariens.

Thesis XXXII.

Juxta internorum Medicamentorum usum Externorum quoque non est negligendus, hunc in finem commendamus balnea, vel ex aquis mineralibus vel ex aqua simplici sola, vel in quâ herb. Malv. Alth. Branc. Ursin. Fol. Salic. Flor. Chamomill. Sambuc. Rad. Nymph. Sem. Lin. & his simil. sunt incocta. Sumunt alii Lactis bubuli certam quantitatem vel etiam olei quid affundunt hæc enim & similia non tantum totum Corporis Ambitum aliquo modo refrigerant; sed eundem aridum humectant, fibrasque exsuccas quasi & tensas relaxant aptasque reddunt, ut alimentares particulas eò facilius recipiant; sit verò calneum moderaté Balidum illudque ingrediatur patiens matutino tempore depositis prius alvi & vesicæ excrementis, duabus ab assumpto nim. lacte vel jusculis sive nutrientibus sive herbaceis horis; ultra semihoram autem vel tres horæ quadrantes in balneo non moretur, ex eodem egrediens linteis tepefactis detergatur æger, & ad spi-

ad spinam dorsi inungatur vel oleo amygdalarum dulcium, Lil. albor. rosar. ex pineis, pinguedine humana Ungt. ros: Litus enim cum oleis & pinguibus in hecticis & atrophia particulari & universali laborantibus egregii sunt. Commendant aliqui hecticâ laborantibus insessiones seu balnea ex pedibus animalium v. g. vitulorum, ovium, & simil. parata.

Thesis XXXIII.

Hæc de remediis ex fonte Pharmaceutico petitis sequitur fons diæteticus, qui sex rerum non naturalium usum convenientem suppeditat. Aër in quo versatur æger sit temperatus & qui ventis blandioribus perfletur, vitetur nimis Calidus & æstuans, pariter ac frigidus: Calidior plantis refrigerantibus & humectantibus conclavi & pavimentis inspersis alterandus est, utpotè à quo ægri insigne levamen persentiunt. Cujusmodi sunt fol. vit. portul. endiv. fl. viol. rosar. &c. Aqua frigida; Vitandus aër autumnalis crassus densus nebulosus, pluviosus aut particulis nocivis inquinatus. Cibis utatur modicè εὐχύμοις, ϗ εὐπέπτοις, ϗ πλοτέχυφοις hoc est multi & boni succi facilisque digestionis, uti sunt Carnes vitulinæ, agninæ, gallinarum, perdicum, caponum, conveniunt quoque juscula destillata ex his parata, item gelatinæ, Crem. hord. Lac. &c. quæ succum nutritium promptè restituunt humorumque acrimoniam obtundunt: Cancri porro fluviatiles ritè parati imò & succus ipsorum expressus sub forma usculi; quotidiè mane per plures hebdomadas assumptus, egregiè succum nutritium restaurare totamque Mass. H. edulcorare creditur. Laudamus insuper si æger appetat pisces fluviatiles, truttas, salmunculos, fundulos &c. Aromatibus decenter correctos: è Contra arcemus hinc omnia Cruda, Crassa acria, salsa, fumo indurata, Muriâ Condita, aliaque sup. th. citata. Potus sit neque nimis Spirituosus aut Calidus uti Vinum generosum, neque nimis frigidus sed temperatus pariter, quin imò satiùs erit vino abstinere & hujus loco decocto uti sive ex rasurâ C. C. sive hord. sive ptisanâ ex rad. liquirit. semin. anisi & passul. min. paratâ, forte etiam potus herb. Theè malo minus radicato, & M. H. lentescere incipiente concedi potest. Somnus & Vigiliæ, motus & quies modum teneant, præstat tamen somnus blandus Vigiliis pertinacibus. Excreta & retenta quod concernit, alvus quotidie suo fungatur officio & si

& si segnior leni quodam Clystere aut Laxante sollicitetur; si nimis laxa blande adstringatur; Menses suppressi pro ratione cieantur: denique ira, moeror, curæ & tristitia summo fugiantur studio, è Contra animus sit hilaris tranquillus, jucundisque Conversationibus recreetur πᾶν τό πολὺ τῇ φύσει πολέμιον τὸ δέ κατ᾽ ὀλίγον, ἀσφαλές.

Thesis XXXIV.

Supra meminimus fontis Chyrurgici exiguum esse in hoc affectu usum, quoniam paucissima inde depromi possunt adminicula. V. S. enim nullum hic invenit locum, nisi ex accidenti prorsùs ubi mensium suppressioni incipienti ex qua hoc malum sensim succrescere posset, medelam illâ parare velimus. Eadem est ratio cucurbitularum cum scarificatione applicari solitarum, frictiones tamen interdum, cum oleosis & balsamicis ut Ol. Amygd. dulc. ung. nervin. ceu supr. innuimus, interdum institui possunt; setacea & fonticuli præservationis gratiâ adhibentur ubi humores serosi acres in toto abundaverint.

Thesis XXXV.

In genere de alterantibus sup. dictis ex Cl. Sylvio monemus ab horum blandioribus ac temperatioribus, demùm ad potentiorum & fortiorum usum esse progrediendum, ne impetuosiore alterantis vehementioris actione vehemens quoque in M. H. agitatio & præpropera nimis alteratio, cum symptomatibus gravioribus excitetur, quam quidem cautelam quivis junior Practicus sibi commendatam habebit, ita tamen ut gradum medicamenti alterantis vitio humoris proportionatum usque attemperet. Et hæc sunt quæ pro ingenii modulo de præsenti affectu nobis meditari licuit. D. O. M. pro concessâ suâ Gratiâ sit Laus & Honor in sempiterna Secula.

F I N I S.